

& per consequens hinc etiam boni malique ratio, non vero a voluntate proveniet.

§. VII.

Quod si igitur hanc diuersam boni malique percipiendi aestimandique rationem *temperamentum* * vocare velis, id non ad voluntatem, sed animam generatim intellectumque potissimum erit referendum, & ex antedicta diuersitate structurae corporis, gradusque actiuitatis erit deducendum. Quemadmodum enim per constitutionem peculiarem fibrillarum neruearum totiusque machinae corporis humani fit, vt adpulsus particularum corporearum eas vel blande titillet, vel moleste vellicet, atque consimilem tum in mente sensationem producat: ita pro conditione diuersa illarum fibrillarum eadem particulae eorundem corporum apud diuersos diuersas efficiunt sensationes, vni molestas, alteri iucundas. Idem valet de certo actiuitatis gradu in Mente. Ex qua tunc diuersa constitutione corporis, certoque actiuitatis gradu ** in intellectu & hinc oriunda diuersa percipiendi ratione omnia temperamentorum vulgarium phaenomena deduci possunt.

§. VIII.

Ponatur enim ea fibrarum constitutio, eique respondens *primus* actiuitatis *gradus*, vt homo per nisum efficacem iis, quae ipsi in perceptionibus obnituntur, & ad mentem ipsam impellunt quasi, non tantum fortiter resistat, sed etiam magno conatu obfistens sibi subigat, penetret, vincat. Talis actiuitatis gradus tribuendus erit *Cholericis*, & ab eo deducenda magna, quae in his conspicitur, animi firmitas, qua fit vt eorum Mens 1.) perceptiones quascunque cum robore quodam constantique tarditate digerat & quod ad minima experiatur. Unde excellens *Cholericorum iudicium* procedit. 2.) perceptionibus, in quibus deprehenditur
con-

* Caue tamen hoc interpreteris de certa solidarum fluidarumque partium corporis mixtura. Hic effectus temperamentorum potius, quam ipsum temperamentum per hanc vocem innuitur.

** quod animae gradu diuersae statui possint, vid. in *Celeb. Io. Iacobi Syrbii Instit. Philosophiae primae* p. 71.